

in sole ponantur. Aliquādo & ipsa contrahunt mortis sibi causas, quum sensere eximi mella auide vorantes. Cetero preparatae, & quae alioquin prodigas atque edaces non secus ac pigras & ignauas proturbent. Nocent & sua mella ipsis, illitaque; ab aduersa parte moriuntur. Tot hostibus, tot casibus, & quota portione eorum commemorata? tam munificum animal expositum est. Remedia dicemus suis locis. Nunc enim sermo de natura est.

De continendis apibus, & quomodo re-
parentur. CAP. XX.

Gaudent plausu atque timitu aeris, eoque conuocantur: Quo manifestum, auditus quoque; inesse sensum. Effecto opere, educto foetu, sunt & munere omni, exercitationem tum solennem habent: spatiaque in aperto, & in altum data gyris volatu editis, tum demum ad cibum redeunt. Vita eis longissima, ut prospere inimica ac fortuita cadant, septenis annis vniuersa. Alueos nunquam ultra decem annos durasse proditur. Sunt qui mortuas, si intra tectum hyeme seruentur, deinde sole verno torreaentur, ac siculneo cinere toto die foueantur, putent reuiuiscere. In totum vero amissas reparari vetricibus bubulis recentibus cum fimo obrutis: Virgilius iuencorum corpore exanimato, sicut equorum vestras atque crabrones, sicut asinorum scarabeos, mutatae natura ex alijs quaedam in alia. Sed horum omnium coitus cernuntur. Et tamen in foetu eadem prope natura quae apibus.

De uespis & crabronibus. CAP. XXI.

Vespa in sublimi est luto nidos faciunt, & in his ceras: Crabrones in cauernis ac sub terra. Et horum omnium sexangulae cellae, cetera autem est cortice & harena. Foetus ipse inequalis ut barbaris, alius euolat, alius in nymphea est, alius in vermiculo. Et autumno non verno oia ea. Plenilunio maxime crescunt. Vespa quae ichneumones vocantur (sunt autem minores quam aliae) vni genus ex araneis perimunt, phalangium appellatum, & in nidos suos ferunt: deinde illinunt, & ex his incubando suum genus procreant. Praeterea omnes carne vescuntur contra quam apes, quae nullum corpus attingunt. Sed vespa muscas grandiores venatur: & amputato his capite, reliquum corpus auferunt. Crabronum syluestres, in arborum cauernis degunt: hyeme ut cetera insecta conduntur: vita bimatum non transit. Ictus eorum haud temere sine febre est. Autores sunt, ter nouenis punctis interfici hominem. Aliorum qui mitiores videntur, duo genera: Opifices minores corpore, qui moriuntur hyeme: matres quae biennio durant, ij & clementes. Nidos vere faciunt fere quadrifores, in quibus opifices generentur. Iis educatis, alios deinde nidos maiores fingunt, in quibus matres futuras producant. Iam tum opifices funguntur munere, & pascunt eas. Latior matrum species, dubiumque an habeant aculeos, quia non egrediuntur. Et his sui fuci. Quidam opinantur omnibus his ad hyemem decidere aculeos. Nec crabronum au-

tem, nec vesparum generi reges aut examina: sed subinde renouatur multitudo sobole.

De bombycibus, & bombyli, & necydalo,
& quis primus bombycinam uestem
inuenerit. CAP. XXII.

Quartum inter haec genus est bombycum, in Assyria proueniens, maius quam supradicta. Nidos luto fingunt, salis specie, applicatos lapidi, tanta duritia, ut spiculis perforari vix possint. In his & ceras largius quam apes faciunt, deinde maiorem vermiculum. Et alia horum origo est gratiore vermiculo, gemina protendens sui generis cornua. Hi eruce sunt. Fit deinde quod vocatur bombylis, ex ea necydalus, ex hoc in vi mensibus bombyx. Telas araneorum modo texunt ad vestem luxuriamque; feminarum, quae bombycina appellatur. Prima eas redordiri, rursusque; texere inuenit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatae rationis, ut denudet feminas vestis.

De bombyce Coa. CAP. XXIII.

Bombycas & in Co insula nasci tradunt, cui pressis, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terrae halitu animante. Fieri autem primo papiliones paruos nudosque; mox frigori impatientia villis inhorrescere, & aduersum hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his cogi subigi; unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine. Postea apprehensam corpori inuolui nido volubili. Tum ab homine tolli, fetilibusque; vasis tepore & surfurum esca nutriri: atque; ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimitti. Quae vero coepta sint lanificia, humore lentescere, mox in fila tenuari iunco fuso. Nec puduit has vestes usurpare etiam viros, lenitatem propter aestiuam. In tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes. Assyria tamen bombyce adhuc feminis cedimus.

De araneis, & generatione eorum. CAP. XXIII.

Araneorum his non absurde iungatur natura, digna vel praecipua admiratione. Plura autem sunt genera, nec dictu necessaria in tanta notitia. Phalangia ex his appellatur, quorum noxi morsus, corpus exiguum, varium, acuminatum, assultim ingredientium. Altera eorum species, nigri, prioribus cruribus longissimis. Omnibus internodia terna in cruribus. Luporum nomine minimi non texunt. Maiores in terra cauernis exigua vestibula praepandunt. Tertium eorumdem genus erudita operatione conspicuum. Orditur telas, tatiq; operis materia vterus ipsius sufficit: siue ita corrupta alui natura stato tpe (ut Democrito placet) siue est quadam intus lanigera fertilitas: tam moderato ungue, tam tereti filo, & tam equali deducit stamina, ipso se pondere usus. Texere a medio incipit, circinato orbe subtegmina adnectens: maculasque; paribus semper interuallis, sed subinde crescentibus ex